10

QUAESTIO METAPHYSICO-PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS

DE

SOMNO, SOMNAMBULATIONE ET INSOMNIIS.

AUCTORE HENRICO VAUGHAN TOWTON.

PHAENOMENA exquirendo hujus rei occultae physiologiae, vix aliquid lucis projectum est appositè, et hypotheses speciosiorae chasmata continent, quae supplere, si possit fieri, tamen sit difficile. Apud quosdam, " cerebrum ge-" nus nervosumque, (quae ab iis dicuntur or-" gana sola sentiendi), plerumque sunt in stati-" bus duobus diversis maxime inter se, nomi-" natis *excitatione* et *collapsu*. Alia notat, istum " statum quo faciliter potest affici genus nervo-

" sum rebus externis,—statum vigiliae. Alter, " contrà, est quum non faciliter externa affi- " ciunt genus nervosum: hujus sunt varii gra- " dus, — torpor, deliquium animi, somnus et " mors *."

Verum est genus nervosum organum esse sentiendi, sed maxime et materialiter moderatur partium organica propria fabrica aliarum, ut occurreret perceptio oculo, naribus, et aure. Sonitum, lucem, effluvia afficere animum opus est tantum his organis quantum eorum nervis.

Genus nervosum excitatum et collapsum esse, vel cerebrum excitari partim et partim collabi, etsi hypothesis grata, tamen mihi videtur dogma alienum, improbabile et errans. Ita traditum est, " Delirium portionis cerebri hujus " excitatione, illius collapsu inducitur;" et institutum hoc argumento, " inter obdormi- " scendum omnes sensus non una demittimus." Aliquis autem non serius altero durat: audiendi facultas non citius visione quiescit, nam ferè utroque carent stimuli.

Collapsus cerebri, et hinc somnus, hoc modo

* Vid. Encyclop. Brit. Article Sleep.

explicatus est: eo conjecto ut in cerebro vasa absorbentia insint, asseritur ut, actione eorum suspensa, lympha effusa vasis exhalantibus cerebrum comprimit *. Huic objicio, primo etiam aspectu, "an absorbentia vasa possint tollere totam lympham effusam in temporis tantulo, quantulo, impetu subito inflicto aquae frigidae, e somno hominem excitare requiratur?"

Somni latet causa proxima, et forsan inexplicabilis.

Quod mihi optatur solummodo est ad somnum discutiendum, somnambulationem et insomnia, ratiocinando a quibus cognitis, et rebus oculo apertis.

Somnus est status existentiae prorsus necessarius; et parte majore gentis humanae plurimum temporis ita consumitur, nimirum, plus aequo et salubri.

"Usus somni," ait Gregorius, "ex affectibus quos in corpore habet satis apparet. Vires et animi et corporis, exercitatione consumptas, reficit: huic vigorem, illi alacrita-

* Vid. Pantologia, art. Sleep.

" tem pristinam conciliat: musculos valido la- " bore defessos, rigidos, dolentes, tremulos, " iterum vividos, validos, et mobiles reddit: " pulsus arteriarum, sub vesperem frequentiores " evadentes, temperat, et ad moderationem ma- " tutinam reducit: cibi concoctioni, et apposi- " tioni nutrimenti ad reparandam partium soli- " darum jacturam, favere videtur: secretiones " et excretiones minuit; et humores secretos " spissescere sinit, corpore scilicet minus sen- " tiente et mobili facto. Hinc ad vitam et sa- " nitatem conservandas, somnus non utilis mo- " do, sed prorsus necessarius; et ad multos " morbos sanandos vel levandos, praestantissi- " mum remedium."

Somnus definitus est, " status in quo omne " inter sentientem et externa visibilia nego- " tium exciditur," aut " quo organa sensus non " faciliter externis rebus imprimuntur *."

Quae definitiones eos status includunt morbis plerisque nervorum inductos, analogiâ quorum phaenomena ferè somni investigata sunt. His objicio, partim quia non somno naturali so-

* Vid. Encyclop. Brit. art. Dreaming.

lo aptantur, et partim quia sequentem in eorum loco subjicerem, nimirum,—*Status inconscientiae, qui necessario incidit, in quo sunt liberae agendo functiones naturales, vitales et animales.* Melius sit dicere, "ut status necessa-"rio incidit," etsi hic modus dicendi est latissimus; namque latent causae, quaecunque absolute eum statum systematis determinant, somnum nominatum. Causas quae producant et producunt somnum, cognoscimus, sed eas nunquam inducendo somnum deficientes nescimus. Sufficit etiam hunc statum dignoscere ab illis in morbis quibusdam nervosis occurrentibus. Porro, in somno solito satis constat ut plerumque actiones vitales et naturales progrediuntur, dum non necessarium est ut animales procedant; sed quarè exercitatio functionum animalium praecipue efficit ut somnus est imperfectus, vel cur non somnambulatio possit fieri in somno perfecto? Anne est ut quia eorum actio *plerumque* suspenditur, ideo, cum *subinde* actio fit, somnus non est somnus? Quid intelligimus verbis utentes "somnus imperfectus?" status longe diversus a somno, et tamen maxime

eodem et vigiliae. Qui status vel diversus est utroque, vel idem cum alio alterove, quare igitur non vocatur vigilia imperfecta? Phaenomenon est quod fere post somnum otiosum accidit, sed anne magis cum somno conjunctum est, propter *meram sequentiam*, ejus natura visa vigiliae tam affini? Difficile esset tamen dicere quousque sine inconscientia agant functiones animales. Quaeraretur, 'anne sint omnes 'functiones in actione animales, et si ita, non 'status est vigiliae?' Esto hoc etiam, (quod tamen non mihi convenit), discrimen inter vigiliam et ambula-somnum constare potest ex statibus mentis quibusdam utroque propriis. Sed ut status animi diversi fiant, organa transmittere impressiones oportet, quas non inter vigilandum transmittunt, causâ differentiae inter eas forsan e statu systematis corporei nitente. Dubia attamen huic conjecturae coeunt; et praeterea ineptum est dicere, organa eadem, exhibitis iisdem imaginibus, animum duobus methodis variis afficere.

Implicatur in mea definitione somni naturalis, ambula-somnus, (si uti dicto mihi liceat), status

qui secundam idaeam somni solitam habetur, et rite status diversus, si definitio rite coarctitur ad functiones solas vitales et naturales: sed mihi sunt duo, propter quae tendo somni idaeam ad actionem functionum animalium.

1*mo*, Quare actiones animales exciperentur, nulla ratio est nec probatio, et non constat naturae ut status non existentiae necessarius vel inutilis consilio instituatur. Si autem ambulasomnus tantum varietas somni habetur, etiamsi non natura ejus mutetur et non prosit, veresimile est ut natura paululo erret magis quam in multo, eo non praeter in paucis occurrente.

2*do*, Haec varietas somni, somno-otioso praegresso, oriens, res declarat casuales solas actionem facessere functionum animalium, ut abunde postea dictum erit sub capite somnambulationis.

Mihi fortasse objiciatur, ut quando alienum esse judico, omnes omitti functiones animales, sic aeque erro quasdam tantum omittens. Sed phaenomena testor somni quae exhibentur, omnes nunquam agere, et aliquas aliquando.

Quae functiones animales exerceantur sine

conscientia, et hinc sub somno, postea recensitae erunt: procedamus, primo, ad phaenomena considerandum somni-otiosi.

1*mo*, Musculi voluntarii facultate movendi desunt.

Movendum etsi musculos voluntarios voluntatem vel affectum animi, implicet, etsique sint sub imperio ejus et tractatione generatim, haud semper ad quiescendum vel ad motum sunt ab ea instituti.

Convenit mihi cum Doctore HARTLEIO probâ famâ, quod motus voluntarii in automaticos progredirentur, cumque REIDEO claro, cujus verbis (si mihi fas sit in Latinum transferre) modum explicare probabilem, utemur, plerorumque motuum. "Habitudo ab instinctu non natura "sed ejus origine differt; prima acquisita, al-"tero naturali. Uterque impellit sine volun-"tate vel intentione, et etiam sine cogitatione, "igiturque principia mechanica vocati sint. "Conjicio esse constitutionis nostrae, quod non "tantum facilitatem sed proclivitatem ad fa-"ciendum quod nobis assuetum est, adipisci-"mur, temporibus paribus; adeo ut abstinen-"do volitionem specialem vel conatum pos-"cit, sed aliquid facere nullam saepissime."

2do, Organa sensus non munera perficiunt. Enumerantur quinque sensus, qui tam instruuntur quam homini indicare idoneum quicquid et necessarium ad ejus solamen et provisionem in situ rerum praesenti. Omnia externa naturae iis patent, et ab iis adeo omnis intelligentia oritur, ut quantum vis mentis est penes vacuum his organis, dicere esset difficile *.

Singulis fabrica differens est atque propria, et tam ad materiae qualitates aptata, quam ut quidam animi affectus ab iis producuntur. Organon quidque non iisdem potestatibus afficitur; nam cuique est susceptio propria rerum diversarum, scilicet, sonitus percipitur auribus solis, lux oculo solo, &c.

Medium per quod qualitates corporum in animum imprimuntur, sunt cerebrum et nervi.

In qua ratione nervi, cum ideae ab externis derivantur, animum afficiunt, nos latet: et qui consensus sit inter rem materialem et immaterialem, nimirum, quo modo ideae in cerebro sunt

* Dugaldus Stewart ait, (verbis ejus translatis), " Necesse est ut ani- " mus, inops externis sensibus, scientía destitutus permansisset.' 'El. Phil. Mind, Cap. I. sect. iv.

repostae *, aut quae ejus partes occupatae facultatibus animi variis, nescimus †.

Per secula pleraque cerebrum sedes animi intuitum est non improbe, ut injuria seu fractura calvario illata aliquando intelligentem in idiotam puerilem transmutabit.

Natura quod nos docet. Certum est tamen animum inesse corpori, et quare non praecipue in cerebro, ob ejus structuram eximiam, et conjunctum cum organis sensus?

Non attamen semper existit in cerebro; nam quum ab eo solutus, distinctus est et integer. Hinc modificatio quae subit hoc principium invisibile ex conjuncto cum materia tantum idearum refert, quae sunt proprie per organa externa excitatae: id apte sit *anima* nominatum, cum caret talibus ideis.

Nescimus etiam quomodo vel quare quaedam potestates materiae cum quibusdam nervis, a situ suo moderatis et fabrica organica partium vicinarum, connectuntur, adeo ut quidam nervi

* "Cerebrum, quo animus omnibus ejus ideis suppletur, et quod re- "ceptaculum est earum, oportet esse tali textura, quali non accipere, sed "etiam tenaciter retinere impressiones extrinsecus." Vid. Priestley's Letter to Dr Mitchill.

† "Inter somniandum regio idearum occurrentium magis profundè "sita est." Vid. Idem.

ab hoc, et non ab alio afficiuntur; nimirum, nervus auditorius non a luce, et opticus non sonitu *.

Ab his dictis, annotamus, ut perceptio refert qualitatum corporum, fabricae organicae, nervorum organi †, et cerebri.

Hinc res quae perceptioni sunt necessariae per organa externa, sunt,

1. Stimuli organis.
2. Status idoneus fabricae organicae.
3. Dispositio animi intendens.

Somnus otiosus debeatur privationi stimulorum vel singulis aliquibus trium, vel omnibus una tribus.

Stimuli per longum tempus adhibiti minuunt susceptionem imprimi, et ingressus somni incedat, dum organa adhuc stimulis obnoxia sunt; aptitudine sua imminuta affici, reddente stimulos quasi debiles. Pari modo, animus in suscep-

* In una re omnes nervi quiqui concordant, scilicet, in sentiendo quîcquid laedat—dolorem. Sensus tactus etiam implicat nullam fabricam organicam necessariam, nempe a habitu nervus aliquis aeque ac alius redditur tactus organon.

† In cogitando de organo sensus, plerumque nervo ipso annectimus plurimum momenti, etsi aliae partes praeter eum necessariae sunt et aeque idoneae.

tione minuari potest, ubi etiam stimuli maxime potentes circumdant. Hinc explicatur quomodo accidit ut somnus obruit inter tonitru tormentorum bellicorum, vel quando ante oculos flammae igneae dirae ad aëra assurgunt *. Per horas vigiliae, tamen, quum stimuli non desunt, et organa sensus non deficiunt quod ad statum, perceptio non consequi poterit, ob statum animi, nimirum, facultas attentionis ad eam est necessaria †.

Causa somni remota esse susceptio imminuta systematis imprimi, videtur, ex adhibitis stimulis diuturnis, vel esse defectus stimulorum. Somnus, nempe, dulcis obrepit post fatigationem lenem praecipue, et tenebris et quiete post res actas diurnas; homines feri una cum bestiis plurimum obdormiunt, quia in iis maxime deest stimulus cogitationis.

* Juvenis habens munus in classe nobilis Exmouth apud Algiers, tam erat devinctus a somno, ut inter tonitru globorum ferreorum circumvolantium innumerabilium totam horam alte obdormiit. Newspaper.

† Exempla saepe incidunt ubi hoc demonstratur, videlicet, metor temporis ferire potest, et homine proximo non audiatur, eo vigilante, et ejus auribus sanis et apertis.

Progredior nunc ad Insomnia consideranda.

Judicium, Memoria, et Imaginatio sensus interni habentur. An necessarium est, ut quorum actio penderet ab ea organorum externorum? Minime sensus interni, ut mihi apparet, agere possint separatim a fontibus cogitationis primigeniis, et id per memoriam mediam, quae res olim perceptas implicat *. Imaginatio est affectus animi minime aliis affinis. Prima est, et semper in fronte et incohibenda; improbabilia et impossibilia tantum sunt ejus instrumenta, quantum vera sunt Memoriae.

In quanto ab imaginatione Judicium afficitur, tanto hoc minus accuratum redditur.

Dubium est mihi quousque Judicium et Memoria agunt in insomniis; sed a dictis sequentibus possit colligi.

In libro † nuper prodito ad Americam sunt observationes Doctoris MITCHILL, Professoris Medicinae Practicae, instruentes somnia, ut orientia a causis variis, et quibus sunt affectus animi proprii et inter se diversi. Tabulum hoc explicet.

* Liqueat hoc magis cum facultates animi eaedem existentibus incorporeis sunt, sed in gradu superiori.

† Inscripto "Remarkable Sermons."

Somnia quae oriuntur,

1. A Dyspepsia.	9. A Plethora.
2. Ab Incubo.	10. — Prophetia.
3. — Hydrothorace.	11. — Visione.
4. A Febre.	12. — Sexu vel Pruritu.
5. Cum Debilitate.	13. — Respiratione.
6. —— Asphyxia.	14. — Toxico.
7. A Recentibus.	15. Ab Ebrietate.
8. Ab Obsoletis.	

Hae varietates sub somniis symptomaticis ordinantur. Doctor notat ut in secunda, memoria est agilis et volitio suspensa. In tertia excitatio subita comitatur; quae duae formant conjunctae Oneirodyniam Nosologum. In sexta occurrit quod Anglice vocatur " A Trance*." Somnia communia in septima amplectuntur, ubi aliqua vi regnante somnia a rebus recentibus actis oriuntur. Symptomata sunt novenae, epilepsia, apoplexia, et catalepsia. In undecima Doctor tractat de impressionibus vividis fac-

* Traditur de Reverendo Doctore Tennant, ut a statu non procul a putredine ipsa recuperaverat; sed ut pagina mea parceretur, ad librum refero antea citatum, Rem. Sermons.

tis in organa visus interna; sed quid nescio, nisi ut, etiamsi oculi occludantur aliquando, quidam colores appareant, vel imagines, ut in epilepsia, quando ut signum praegressum anus cum baculo minitante ad feriendum aggreditur *.

Conscientia et spontanietas in quindecima dicuntur esse devinctae; sed cur in ea, aliis exceptis, non intelligo, nisi quod ait SENECA, " spontanea insania ebrietas est."

Somnia idiopathica D. MITCHILL sunt somnia cum Sermone vel Ambulatione, Inventione, Hallucinatione, Musica, vel Religione. Ex toto ejus via exquirendi rem est nimis medicalis: varietates tabulo dictae omnes reducantur sub causis quae a nervis vel organis corporis affectis oriuntur.

Exemplum est notabile somni cum religione in libro antea citato, in quo sunt sermones et preces foeminae juvenis inter somniandum ejus traditi. Quicquid ei tunc alloquetur, ab ea responditur constanter religioni, et determinatè et accuratè. Memoria interdiu labat colloquiorum nocturnorum, et nihil omnino status ejus meminiscit.

* Hoc exemplum mutuor a Praelectionibus Doctoris Gregorii hujus Academiae, late cogniti Medici.

Paroxysmus incedit quotidianus tempore decubitus, duratque circiter horae tres partes quartas. Genus molestiae spasmodicae, anxietas spirando, et arctatio hysterica colli primo comitantur. Rigor nullus vel frigiditas, nulla excitatio febrilis, nec ad finem est ullum stadium sudoris. Vultus post exercitationem continuatam, praecipue quando illa quaestionibus turbata fuerit ei adhibitis et multo colloquio, molestiam indicavit et fatigationem. His symptomatis paulatim abeuntibus, sine ea ex somno excitata, postea perstat tranquilla et tacens. Medici phlebotomiam et tincturam thebaicam exhibuerant, quae non valebant. Sive sola vel multis circumcincta adhuc sua colloquia peregit; ubicunque esset pariter eadem perfecit. Sub paroxysmo strenue affirmat ut non dormit, quando ei contrarium objiciatur, etiamsi cuique vicino manifestum sit ut non vigilet.

Non tam audax quam ut prodeam hoc alienum explicare; nam se conscientiam habuisse, oportet, eorum quae ei dicta sunt, quamvis non ejus *status* et *situs;* nempe, intelligebat accurate, et respondebat sonos per organon audiendi

allatos ad animum, quum " inter somnum litiga- " vit semel ut non fuerit in New York (ubi ve- " re erat), sed alibi." Hic casus etiam exemplum praebet affine ad somnium ab Abstractione, Anglice *Reverie*, et ab eo differt quia alius status plures organos habet quam unum patientes impressionis vel imprimi faciliores. BICHAT putat ut egomet, " tres vel quatuor solummo- " do sensuum in statum otii ingressi sint, et a " rebus externis affici cessaverint *."

Imaginatio certe florebat quum Domina BAKER " coela plena expansione ei dormienti, " et sedem Omnipotentis aspiciebat, et in mi- " nisterio numeros coelestes, vocem atque ei " non humanam alloquentem, inter suam moero- " rem audiebat."

Tres status sunt existentiae animalis, ait Dr MITCHILL, et unus est somniandi. Evidens est, tamen, quod si somnus ad somnios necessarius sit, status somniandi non est ab altero distinctus. Dubito si unquam somnus occurrere possit expers somniis; et si non separanda, quare non statibus singulis pendeant? Plerumque e-

* Vid. Rees's Cyclopaedia, art. Sleep.

tiam somnus cum somnio, et somnus expers eodem non indicat signis aliquibus status diversos. Praeterea, somnus est necessarius ad vitam animalem, sed somnia tam inutilia sunt, quam non statum proprium poscere.

Somnus esse habetur minus perfectus, prout plus somniandi occurrit, et somnus perfectus esse quum omnino expers somniis; nam, "ut "status somniandi sit species somni minus "perfecta, apparet a re facta bene cognita, "nempe, somnus primus quam sequentes som-"niis est magis expers *." Mihi nihil est documenti, ut quod somnium est somni signum, ergo somnus ipse moderetur, vel nova species inde gignatur.

Quaeratur, an affectus animi qui somniis adsunt, legibus iisdem parent affinitatis, aeque ac inter vigiliae horas? Dugaldus Stewart ita putat, ut videbitur a sequentibus:

1*mo*, Somnia nostra crebro ab affectibus corporeis educuntur, et cum his bene est cognitum, e quo experitur per vigiliam, ideae propriae sunt saepe arcte conjunctae. Utriculo aqua calida

* Vid. Rees's Cyclopaedia art. Sleep.

impleto, et ad pedem sub somno applicato, somnium facessat itineris ad Aetnam summam, et caloris soli fere non tolerandi.

2do, Somnia nostra afficiuntur ab animi ingenio magis valente, et secundum ejus jucunditatem vel tristitiam variant. Periculo imminente evaso interdiu, fortasse inter somnum subito excitemur.

3tio, Somnia nostra a more solito conjunctionis idearum horis vigiliae, afficiuntur. Valde est commune singulis de negotiis suis somniare, nempe, agricolae tellurem colandi, de bovibus et pecore ad pascuum agendis; mathematicae de problematis solvendis, et militi de militia.

4to, Temporum juventutis acta, quibus est facilior conjunctio idearum, saepius quam recentia, constituunt nostra somnia. Hinc senibus illa sunt fere somniis.

5to, In somnio, ut accidit inter vigilandum, verba subinde ut instrumentum cogitationis adhibentur. Verba et res adeo arcte affinia, ut alia altera animo excitant; nisi aliquando quum

dictio oblita sit, perstante rerum ipsarum cognitione, et vice versa *.

Theoria, breviter, somniandi DUGALDI STEWART est,—Operationes animi, quae pendent de volitione, suspenduntur; et secundo, ordines cogitationis, secundum leges institutas affinitatis, progrediuntur †.

Hoc mihi etiam constat: sed (si non nefas sit ferre arma juvenis contra judicium bene-concoctum experti), opinor, ut STEWART non sibi constat; nam sic disputat, " Processus ratiocinii, quibus aliquando sub somno arbitramur " nos esse occupatos, non ei (theoriae) objiciunt, nam ii prorsus affinitate idearum explicari possint absque volitione, ita,—rationes " praegressae saepe antea ad animum exhibitae sint ‡." Licet mihi ut affinitas idearum evadat sine volitione, et ex eodem principio, quo motus voluntarii fiant automatici scilicet,—per habitum. Sed STEWART adversatur idem principium motibus voluntariis, quod altero casu am-

* Gregorius antea dictus in praelectionibus suis exempla tradit hujusmodi.

† Vid. El. Phil. Mind, vol. i, cap. v, § v, et praecipue p. 327. 4to edit.

‡ Vid. Idem, p. 333.

plectit. Posco, Domine STEWART, si *habitus ratiocinii* inter vigiliam efficit ut sub somno *sine voluntate ratiocinemur*, nonne *habitus movendi seipsum* inter vigiliam efficit ut sub somno *sine voluntate ambuleremus?* Certe: igitur, quod antea dictum est p. 8, de motibus factis automaticis, confirmatum est, et musicus a te negante dictus vel tarde vel celerius potest lyram pellere, motibus digitorum ejus *automaticis*, scilicet, non poscens necessario acta distincta animi seu volitionis, motibus singulis *. Auctoritas, igitur, ipsius D. STEWART, probat, ut somnambulatio est involuntaria.

Sed praeterea gaudet mihi ut auctoritas D. STEWART sustinet, quod assumptum erat antea p. 13, scilicet,—Memoria inter inconscientiam vel sub somno agere potest, et etiam Judicium, quod ordine ratiocinii implicatur. Judicium tamen, quanto ut cum memoria conjunctum est, sed minime ut referens inventionis †, exercetur: hic videtur esse finis actioni Judicii.

Non contendo ut organa omnia externa im-

* Vid. El. Phil. Mind, c. 2, p. 113.

† Vid. p. supra, " rationes praegressae saepe antea ad animum exhi-" bitae sint."

pressiones externorum ad animum convehant, inter inconscientiam, sed (non alterius ut procedam), dico, organa externa *quaedam* exerceantur conscientiâ non instituta.

Domina Baker hujus est exemplum ; audiit sonos, et adhuc dormiendum perstabat.

Hoc attamen deducit iter ad considerandum ultimum propositum, et si phaenomena somnambulismatis non tendunt, quod inconscientia existet dum quaedam organa exerceantur, stabilire, tendent saltem ferendum auctorem ad finem decursus rei occultae et molestae.

Somnambulatio ita explicari potest. Vis fibrarum muscularium irritabilis et contractilis excitatur, ab actione stimulorum in nervos partis alicujus corporis, sensatione allata ad animum simul quod imaginatio adeo eam moderat, ut oritur perceptio fallax. Antea dictum est, p. 13, ut imaginationi sunt aeque impossibilia ac improbabilia objectis suis; et " quanto ab ea judicium " afficitur, tanto hoc minus accuratum redditur." Imaginatio est facultas non pendens vel de statu vigiliae, vel somni, sed alterutro conjungitur. Immo, potius quum minus rebus externis re-

gitur floret: et hinc tempus minime idoneum exercitationi judicii, est tempus maxime aptatum ei imaginationis. Quando, scilicet, organa sensus stimulis imprimuntur, judicium superat facultatem alteram; sed his decedentibus, et organa relinquentibus, eadem ratione valet imaginatio. Sole occaso et luna oriente, dum haec nebulorum caligine umbrata mediorum, aliquid ante oculos attonitos sese excitat; fortasse sit ab arbuscula innocua folium deciduum; sed judicium captivum et vinculis devinctum cedens sub imperio ducis, cui favent quies et tenebrae, judicat insidias esse praesto et maleficum praedonem; sic homo membra pallentia vibratur. Imaginatio igitur, praecipue sub somno, floret, et tunc maxime moderat judicium. Quaeri potest, quare imaginatio ad motus ducit musculorum? "Quare non ad incubum?" Quia ab hypothesi nervi motu praesertim morbide sunt sensiles. Ut incubus rebus propriis, sic etiam somnambulatio excitatur. Non mihi fuit unquam aliqua occasio cognoscere habitus eorum et modos qui sub somno ambulant, sed evadat ut hoc

phaenomenon in debilibus corpore et animo et nervosis et anxiis occurrit.

Doctor CULLEN facit imaginationem esse causam excitantem ambulationis, sed, me judice humili, fortasse impressio extrorsum in nervos membrorum pressura lecti vel decubitu mox fatigatorum, causa est, dum natura plus somni poscit refectioni partium aliarum *.

Actio musculorum vel ambulatio ipsa ad eam tribuatur affinitatem idearum, cujus leges, ac in vigilia, regunt imaginationem. Hae leges sub capite somniorum, p. 19, plene explicatae sunt. Quod adhuc dictum est ostendit somnambulationem non multum a statu somnii discrepare. Si tamen crederem fabulas de circuitibus somnambulatorum circa tectorum vertigines impune peractis, &c. molimina mea eas explicare aeque essent mirifice inepta, ac credulitas mea et res ipsae simulatae ludicrae.

Nunc an phaenomena somnambulismatis ostendunt ulla organa sensus agere, perstante inconscientia? Immo, sensus tactus generalis.

* Quare "somnus, et somnus primus, quam sequentes, somniis est magis expers," eodem modo explicetur. Vid. supra, p. 18.

Hoc et memoria auxiliis progressus vel protractio motus efficitur. Exemplum Dominae BAKER etiam forsan probat ut perstet vis audiendi inter inconscientiam.

Conscientia referens tamen judicii accurati, hinc videtur pendere de iis fontibus, sensibus externis, unde animus certissimus redditur. Hinc mea in definitione conscientia non refert cognitionis virium animi actionis, sed tantum status et situs praesenti tempore hominis ipsius. In qua ratione sensus visus praecipue, et memoria rerum ad animum allatarum ab eo labat, in ea ratione judicium subvertitur, imaginatio regnat, et inconscientia instituitur.

Ut finiamus : Videtur ab dictis praeeuntibus, ut status somnambulatio, etiamsi referat vigiliam, est tamen tantum varietas somni: et somnus, etiamsi cum somnio conjunctus sit, non jure eo dicitur minus perfectus ; nam, (ut antea p. 18. traditum est), somnia tantum indicant somnum.

FINIS.